



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio I. de natura formæ & materiæ. Denique voce, εν τελεχεια. ad  
tex. com. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

uisit in primam & secundam substantiam: Aut generalior spectari potest substantie ratio, quae incompleta quoque & dimidiata substantiae partes comprehendat. Hae enim ipse quaedam sunt substantiae. Atque haec substantiae ratio analogica est & ad vnum, quatenus de perfecta & imperfecta, integra & dimidiata dicitur. Nam ea, quae imperfecta est & dimidiata, propter perfectam est & integram, cuius est pars. Hanc nimirum diuisit hoc loco in substantiam perfectam & integram, quae est composita; atque in imperfectam & dimidiatam, quae est materia aut forma. Quare est substantiam eam diuiserit, quae genus quoddam est entis, eam tamen diuisit quatenus per se primum substantiae perfectae conuenit, quae per se in recta serie sub eo genere ponitur; & secundario, seu per ordinem ad illam, substantiae imperfectae, quae eodem reducitur.

*Sola forma formans in intelligitur.*  
 Verum ut substantiam perfectam & compositam intellexit eam, quae per se ponitur in categoria: ita dum formam nominauit, solam formam formantem & dantem esse materiae, constituentemque substantiam illam compositam intelligi voluit. Hanc enim ob causam materiae dixit potestatem, & formam actum, nempe essentiali potestati illi respondentem. Et ideo formam appellauit speciem, qua fiat hoc aliquid. Sola enim forma formans facit vnum ens per se cum materia, quod in substantiae categoria ponatur. At naua cum nauis, aut quaelibet assistens forma cum eo, cui assistit, neque facit vnum ens per se, neque hoc aliquid: neque id, quod fit ex illis, per se ponitur in categoria; quia est ens ex accidenti: sed solum ratione suarum partium seorsim sumptarum. Quod ideo libuit adnotare, ut post intelligeretur, omnem animam, cuius diuisio ex hac definitione colligetur, formam esse formantem illius corporis, cuius est anima. Ceterum dum dixit esse actum, *Neque per se nominauit.* Quae vox magnam sanè habet apud multos difficultatem. Sed quid tandem valeat, quamvis vim habeat, pluribus paulo post explicabitur.

*Actus primus quid.*  
 Tertiam igitur diuisionem adiungit veluti antecedentis subdiuisionem quandam. Accipiens namque alterum diuisionis illius membrum, actum diuidit in actum primum, & actum secundum. Actus primus formam absolute, & per se consideratam significat, velut habitum. Exemplum adfert scientiam ex accidentium genere tanquam notiore & immediato principio actus secundi, qui in operatione consideratur: Omnis enim operatio immediatè ab accidentibus velut substantiae formae instrumentis promitur. Ex quo intelligas, non solum substantiae formam, ut Philopono placuit, sed & accidentis posse primam entelechiam appellari. Nam & Arist. ex accidentium genere exemplum protulit: & illa quoque potestatem materiae quoquo modo actuat & perficit: ac demum operationis & actus secundi principium existit. Actus igitur primus est veluti scientia. Quia ut haec habitum quandam significat residentem in mente, qui vel dormientibus nobis, vel aliis sapè, est absque vlla contemplatione: sic actus primus formam absolute & absque operatione, sed solum in materia residen-

**A**ctum, eamque actuantem & dantem illi esse significat.

Actus vero secundus est ut contemplatio: hoc est operationem indicat, aut formam potius operantem. Quod propterea dixi, quia si solam significaret operationem, significaret accidens, essetque haec diuisio in substantiam & accidens. Verum & accidentia omnia fuerunt à principio ab his diuisionibus repudiata, tanquam ad animae definitionem inuestigandam inutilia. Atque haec tertia diuisio, quaedam est secunda illius subdiuisio, in qua solus substantiae actus fuerat nominatus. Hunc enim rursus partitur in primum & secundum: hoc est in actum non operantem, sed solum dantem esse; & actum operantem quoque, qui sit velut scientia actu contemplans quidpiam. Atque hoc etiam cognoscitur ex text. s. vbi cum substantiam diceret esse actum, statim adiecit (hic autè dupliciter dicitur) & rursus diuidit eum actum, qui est organici corporis; quem constat esse substantiam. Vterque igitur substantia est: totaque haec diuisio eo spectat, ut intelligatur, qualis actus sit anima. Quare cum iam acceptum fuisset, eam esse substantiam, inutilis diuisio fuisset in actum substantiae & accidentis. At cum actus substantiae & sine operatione, & cum operatione considerari possit; diuidendus erat hic actus, ut intelligeretur, qualis actus sit anima.

**C**ur autem alter horum actuum appellatur primus: tum quia actuat & explet primam materiae potestatem, quae est ad esse: tum quia prior est generatione, & alterius actus principium. Hic autem dicitur secundus: tum quia quaedam est prioris actus perfectio, siquidem operatio operantis formae perfectio est: tum quia est generatione posterior, atque à priore deriuatur. Actus primus vocitari solet habitus; propterea quod habeat esse firmum & persistens in subiecto, hocque absolute. Alter vero dicitur actus, quod in quadam duntaxat operatione consistat; statimque cum ea transeat.



DIGRESSIO PRIMA.

De Natura formae & Materiae; deque voce, *actus primus.*

**E**T haec quidem est huius contextus explicatio. Breuior omnino, quam ea postulabant, quae paucis verbis Philosophus complexus est. At commentarij ratio longiorem sermonem non patiebatur. Seorsim nunc pluribus explicentur. Ea tria sunt praecipua. Primum, diuisio substantiae in materiam, formam, & compositum. Alterum,

natura materiae ab ipso proposta. Tertium vox, A  
entelechia, qua formam appellauit.

*Materia  
esse sub-  
stantia.*

Materiam esse substantiam, non perfectam & integram, sed imperfectam & velut partem; manifestum est. Siue substantia dicatur, quod per se existat, siue quod accidentibus omnibus subiiciatur & subsit. Nam ea per se existit, immo & subsistit tanquam primum substantialis totius subsistentiae, atque accidentium omnium inhaerentiae fundamentum. Quod à nullo pendere potest intrinsecè, sed extrinsecè solum à Deo, tanquam ab efficiente & conseruante causa. Et ideo formis omnibus, tum substantiae, tum accidentis, subiicitur primum hoc subiectum, quod caetera omnia sustentat: iisque separatis superest solum. Ut meritò dictum fuerit in textu 8. lib. 7. metaph. si materia non sit substantia, nullam aliam omnino fore.

De forma maior difficultas. Nam etsi aliquam in rebus formam reperiri nullus negauerit; quòd vel ipsius sensibus plurimè percipiuntur, atque ex mutatione comprobentur, in qua acquiritur aliquid & abiicitur certum est. Et in rebus genitis quantitates, figurae, colores, & qualitates aliae conspiciuntur à subiecto diuersae; dum eodem subiecto manente adueniunt illae & recedunt. Resque & inter se differunt, & in aliquo conueniunt, atque agunt vicissim & patiuntur. Quare formam aliquam habeant & materiam necesse est. An tamen sit aliqua, quae velut actus substantiae adueniat subiecto, quod nullam habeat speciem & cum ea compositam substantiam faciat; diu, multumque disputatum fuit. Negantibus antiquis illis Philosophis, qui generationi corpus in specie constitutum, suaeque natura incorruptibile subiecerunt, quòd accidentibus alio atque alio modo formatum diuersitatem pareret rerum. Ita totam cuiusque rei essentiam inquirebāt esse materiam; distinctionem, ortum & interitum sola qualitatum mutatione constare. Nec verò post eos defuerunt, qui D  
formarum illud genus demonstrari haud posse contenderint.

*Forma  
esse sub-  
stantia.*

*Muta-  
tio du-  
plex.*

Verum non eandem in omnibus demonstrationum viam requirendam esse, sapienter mone-  
mur in tex. 16. lib. 2. Metaph. Atque in hac ratio-  
nibus illis acquiescere illos oportuit, quae robur  
illud habent concludendi, quod in naturalibus  
fatis sit. Ergò in re qualibet naturali possunt haec  
omnia considerari; generatio seu mutatio, essen-  
tia, accidentia, operationes. Mutatio duplex om-  
nino cernitur. Altera, qua mutatis accidentibus  
res efficitur talis aut talis, calida aut frigida; eodè  
retento nomine, eademque essentiae definitione. E  
Altera, qua & nomen & definitionem amittens  
dicitur absolutè fieri, ut dum ex ligno fit ignis:  
mutata nimirum natura & substantia rei. Non to-  
ta; quoniam naturale agens nec vnā totam po-  
test corrumpere nec aliam totam producere: sed  
altera ex parte. Non ea, quae subiicitur: quo-  
niam haec & in tota mutatione, & post eam perse-  
uerat. Verum altera, quae format: Cum ex illa  
praesertim rei cuiusque nomen & definitio petan-  
tur. Et ut substantia res mutatur; ita non acciden-  
tibus solis, sed forma item quae sit substantia, na-  
turam eius constare necesse est. Propterea interdum  
agens dicitur facere calidum, interdum sibi  
simile. Quòd interdum producat accidens, in-

terdum substantiam. Non materiam; quoniam  
haec actioni subiicitur, neque ab eo produci po-  
test; & ratione materiae cuncta sunt illi simi-  
lia: sed alteram substantiae partem, quae est for-  
ma.

Deinde si essentias rerum contempleris, in iis  
aliud est esse talem accidente contempiam, ut cali-  
dam, aut frigidam: aliud esse talem absolutè, ut  
ignem aut aquam. Hoc accidentibus tribui non  
potest. Tum quòd res est talis absolutè, non ex  
accidenti. Tum quòd ignis, ut ignis, est substan-  
tia, & ideo talis per aliquam substantiam. Non  
materiam, quia est omnibus communis; sed per  
formam illius propriam. Duplex item est eiusdem rei  
rei definitionum genus; Accidentarium, & essen-  
tiale: qualibetque res ab alia distinguitur, tum  
ratione accidentium, ut ignis calidus ab aqua fri-  
gida, tum quatenus est absolutè talis, & substan-  
tia: nam etsi aqua sit calida, non est tamen ignis.  
Non differunt autem materia, ergo forma, quae  
sit substantia. Duo etiam sunt entium genera: nimirum  
quaedam per se, quae partibus constant eiusdem  
generis, materia & forma substantiae; ut ignis, aut  
homo: alia ex accidenti, quae partes habent ge-  
nerum diuersorum, ut ignis calidus, aut homo al-  
bus. Quòd si nulla sit substantiae forma, nullum  
fuerit ens per se, sed ex accidenti omnia. Absur-  
dum quoque decem illa entium genera confun-  
dere, quae tam sapienter Philosophi distinxerunt.  
Nam si ignis, ut ignis est, sub genere substantiae  
ponatur, nimirum secundum propriam illius for-  
mam ponitur. Nam si ea esset accidens, aut ali-  
quo accidentis genere contineretur, aut ignis  
quoque calidus & entia quaeuis ex accidenti ad  
substantiae genus pertinerent. Quòd si ignis be-  
neficio materiae, quae est substantia, sub eodem  
genere poni dicitur: mitto quòd non poneretur  
est ignis: omnia sanè entia ex accidenti deberent  
poni: nec vlla essent in substantia genera, nulla  
species, nulla superiorum & inferiorum ordina-  
tio. Denique ita libet de rerum essentia ratiocinari.  
Aut certè sunt & constitutae rerum essen-  
tiae, aut sola materia fortuito, ac temerè acci-  
dentia diuersa suscipiens alio, atque alio modo  
formatur. At quis Deum credat sapientissimum  
opificem nihil certi constituisse, sed casui omnia sub-  
iicisse? Rediret nimirum ridicula opinio Leucippi &  
Democriti, si fortuito accidenti, veluti atomis,  
concurfu constarent singula. Quoniam verò vni-  
uersi perfectio ex hisce rerum speciebus constat,  
certam eas & constitutam oportet habere natu-  
ram; ut eadem semper cernuntur species, quae  
& eadem habent accidentia & operationes eas-  
dem. Hinc verò eas consequens est constare formis,  
quae sint substantiae. Nam si fortuito constarent  
accidentium concufu, continenter mutarentur  
aliaeque; & aliae procrearentur, accidentibus aliis ac-  
que aliis concurrentibus: quemadmodum de ato-  
mis prisci illi Philosophi loquebantur. Deinde  
(ut species omnes rerum taceam accidentarias fo-  
re, non substantiales: accidentiaque intendi &  
remitti, rerum autem essentias in impartibili ver-  
sari, quibus si vel vnica vnitate addidisti, ut  
Philosophus loquebatur, speciem mutasti) aut  
essentia cuiusque rei vnico accidente consti-  
ret, aut pluribus copulatis. Vnicu (siue illud sepa-  
rari possit, siue non possit) cum sit commune multis,  
essentiam

essentiam ab aliis distinctam non constituet: aut si sit accidens proprium, naturam constitutam consequetur. Immo cum accidens sua natura semper sit idem & materia item in omnibus eadem & ad accidentia omnia suscipienda indifferens; nisi adsit substantia forma, quae tanquam sibi proprium accidens postulet; Cur quæso idem accidens, quod ab uno separatur, ab altero separari non potest? Neque enim causa est accidens aliud adiunctum; vt siccitas, aut raritas in igne causa sint, cur calor ignis non separetur. Quoniam cum ipsæmet non separentur, ad substantia formam tandem veniendum est, quæ omnes illas qualitates sibi adsciscat. Et dum ab aere quoque, qui humorem habet, non siccitatem; nec raritatem tantam, quantam ignis; calorem cernimus non diuelli; atque in igne siccitatem cum raritate summa, in terra cum summa densitate; alia cogimur inseparabilitatis causam querere. Præsertim quod plura nonnunquam accidentia videmus ab eadem re non separari. Ita conficitur, accidente vnico essentiam rei constare non posse. Iam si plura coniungantur, cum eorum natura non mutetur, qui possunt essentiam dare, quam non dabant singula? Cur hæc potius, quam illa accidentia conueniunt? Materia certè ad omnia & quamlibet eorum coniunctionem est aequè parata: habentque ipsa diuersam naturam singula, diuersisque in rebus singula cum singulis copulantur. Quæ verò alia sit coniunctionis causa, quam substantia forma? Ita in corporibus multis pugnantibus iunguntur elementorum qualitates, iunctæque conseruantur diutius. Inuidua potè eiuſdem speciei an non diuersum habent singula accidentium complexum? Essentia igitur & specie differrent, ni alia esset essentia rerum & species, quam plurimum accidentium concursus. Denique & Aristoteles certa ratione concludit, & nos post illum certissima fide ac religione cognouimus essentiam hominis nec accidente vnico, nec plurimum copulatione constare: sed eaquam quarimus, formæ substantia. Idemque de cæteris debet esse iudicium.

Venio ad tertium probationis caput, quod ex accidentibus petitur. Quælibet res accidentia quædam, vt sibi propria, natura que suæ accommodata postulat. Quo fit, vt quæ separantur ab vna, ab alia nequeant separari. In vnaquaque item tot & non plura, tamque intensa aut remissa cernuntur. Et eorum aliqua si amittantur interdum, recuperantur statim; vt in aqua calefacta videas. Hæc & his similia causam aliam non habet, quam substantia formam. Materia enim ad accidentia quæuis indifferens est, aliaque adiunctæ qualitates non minus cum aliis, atque alio modo affectis confisterent.

Per similes argumentatio ex postremo illo deducitur capite, quod ex operationibus initio proponebatur. Res vnaqueque propriam habet aliquam & suæ naturæ congruentem operationem; vt ignis naturaliter calefacit; non aqua, etsi sit calida. Id ex calore non oritur; quoniam vtrobique est idem. Nec ex materia; propter eam rationem, quam sæpe significauimus; & quoniam ea patiendi, non agendi principium est. Neque ex adiuncta alia qualitate; quia calor, qui in igne naturaliter cum siccitate, & in aqua non naturaliter cum humore, in aere naturaliter cum humore item calefacit,

**A** Oritur igitur ex substantia forma, quæ eam sibi qualitatem vt actionis instrumentum destinat.

Pluribus eò libentius abstineo, quod aduersarios videam nullis ad id impugnandum, quod hæcenus demonstrari, vt posse rationibus. Sed solum quoquomodo conari ostendere, accidentibus solis saluari omnia: nusquam autem demonstrare, ea sola in natura coherere. Itaque maneant, & materiam esse substantiam, & formam. Ex quibus sanè copulatis tertium quidpiam existit, quod item sit substantia. Atque ita optimè Philosophus partitus est substantia genus in Materia, Formam, & id, quod ex illis compositum est.

*Altera pars Digressionis. De Materia.*

**I** Am verò in hac altera digressionis parte, consideranda superest natura materiae, quam paucissimis verbis posuit. Materia inquit, nõ est hoc aliquid, sed potestas quædam. Ea fuit semper cognita difficillima; quia cum nihil cognoscatur nisi vt eã actu, materia nullum videtur habere actum, ex quo eius natura colligatur. Accidentia verò, quæ incurrunt in sensus, vt sunt actus quidam determinati, quibus res fit talis; ita formam potius substantia indicant, quæ actus ite est determinatus; quam materia, quæ potestas est & indeterminatæ quidpiam. Arist. in primo phys. lib. ex mutatione, tum accidentaria, tum artificiosa, inuestigauit. Et per analogiam ad materiam artificiosam potius, quam accidentaria, cognoscendâ proposuit in textu 69. Quoniam ex textu 63. vt in substantia mutatione, sic in illa res dicuntur absolute fieri; in hac autem solum secundum quid fieri. Inde verò cognoscitur, eam esse ens imperfectum, informe, & maxime potestate. Quod non solum alterius susceptione perficiatur, sed omni actu & perfectioni subiiciatur; sitque primum subiectum, ex quo inexistere fiant omnia; & in quod tandem dissoluantur, dum pereunt; vt est in tex. 82. Propterea Aegyptios faciem primæ vitæ, quam symbolicè aquam appellabant, materiam esse dixisse, testatur Simplicius in digressionem ad tex. 69. eiusdem libri.

Sed quoniam ratio, cur alteri quidpiam subiiciatur, potestas est & imperfectio: dum materia cernitur omnibus subiici, concluditur esse prima in genere potestatis & imperfecti. Et quamuis ex mutatione potissimum cognoscatur esse subiectum, ex quo res fit. Quia tamen non fit nisi actione agentis, susceptione formæ subiecti; imitatio: ne intelligitur etiam esse subiectum, circa quod agens agit, in quo suscipitur forma, & in quo fit mutatio. Et rursum licet dicatur esse principium generationis rei, quæ fit, hoc est compositi, quod gignitur: & esse subiectum, quod illi inest: quia est pars constituens compositum. Quoniam tamen idè gignitur & constituitur compositum, quia producit forma in materia; ordinem quoque significat ad formam, quæ & gignitur, & in ea suscipitur.

Quid potè sit hoc ens imperfectum & primum subiectum informe, non videtur aperte satis dici posse, sed negatione indicari. Si enim omni actu & determinatione careat, non potest quid sit affirmado explicari. Quoniam cognoscere quid res sit, nil est aliud, quàm cognoscere quæ habeat actum. Potius igitur actum & determinationem negatione

*Natura materia cognita difficillima*

*Cur ex mutatione artificiosa, quæ sit materia Aristoteles.*

*Materia Aegyptios faciem primam*

*Alteram negatione cognoscit*

quam affirmatione explicabitur. Quam ob cau-  
sam à veteribus quibusdam dicta est Tenebra:  
quoniam vt hæc tunc dicuntur cerni, cum lumen  
nullum conspicitur; sic materia conspicitur tunc exi-  
stimatur, cum in ente ad formas suscipiendas apto  
nullus intelligitur actus aut forma: & Porphyrius  
in lib. de occasionibus eam dixit esse quasi lu-  
dum in non ens auferentem: fugamq; eius non  
fieri loco, sed dum ab ente deficit. Hoc cog-  
nitionis genus adulterinum & spurium appellauit  
Plato & Timæus Locrus in lib. de Natura: Quia  
non quid res sit, sed quid non sit ostendit. Et ideo  
materiam dixit Plato sine sensu tactus percipi. Et  
Simplicius exponens tex. 69. antea citatum cog-  
nitionem hæc esse illius potius ignoracionem. Vt  
nō immeritō Marsilius Ficinus in Socratis Apolo-  
giam id, quod Socrates dicitabat, Hoc vnum scio  
me nihil scire, ita interpretatus sit, vt nihil affirma-  
tione, sed solū negatione sciret: Quod affirma-  
tione cognoscere, proprium sit Dei, qui rerum natu-  
ras efficit, & eas earumque causas verè compre-  
hendit. Eodem modo accepit & illud, quod So-  
cratis Dæmon eum perpetuè reuocabat prouo-  
cabat numquam; nempe ad negandum potius,  
quàm ad affirmandum illuminabat.

Deum quoque affirmamus negatione cognosci.  
At alia prorsus ratione. Nam de Deo propterea  
negantur omnia, quod aliquid sit maius & perfe-  
ctius ijs omnibus, quæ concipi possunt & nomina-  
ri. De materia autem, quod deterior sit & im-  
perfectior eo, quod affirmatur. Hinc Proclus in  
Platonis Alcibiadem primū, Deo materiam dixit  
similem esse per dissimilem quandam similitudi-  
nem. Sicut enim materia est informis, sic & Deus;  
& vtrumque infinitum penitus & ignotum. Sed  
hæc omnia Deo secundū melius conuenire, mate-  
riæ secundū deterius. Vt enim lignū dicimus nō  
esse lectū, nec ianuā, nec abacum, nec eorum quid-  
quā, quæ arte fiunt; sed quidpiam ad hæc omnia  
potestate. Ita prorsus de materia affirmamus com-  
paratione formarum omnium naturalium. Et affir-  
mauit Plato eam nec esse ignem, nec ærem,  
nec aquam, nec terram, nec aliud ex his constitu-  
tum. Et Aristoteles tex. 8. libri 7. Metaph. Nec  
esse quid, nec quantum, nec aliud quidquā eorum,  
quibus ens determinatur. Non esse inquam sub-  
stantiam perfectam (quod enim ibi dixit (quid)  
hoc loco quasi interpretando dixit (hoc aliquid)  
quod perfectam substantiā significat.) Nec vllum  
habere omnino actum determinatæ speciei, siue  
substantiæ, siue accidentis: sed esse id, de quo vter-  
que actus affirmetur. Quod ex mutatione colligi-  
tur; quia omnis actus ab ea cernitur remoueri, &  
in ea suscipi.

At quoniam ne actuum quidem negationes de  
illa voluit affirmari posse; disputarunt interpretes,  
Num negatio seu priuatio ad illius essentiam per-  
tineat. Verum duplex est negatio. Altera negat  
coniunctionem, & existentiam formæ in materia.  
Et quoniam materia semper est apta suscipere for-  
mam; hæc negatio in subiecto apto est priuatio,  
formæque aduentu perit, nec ad essentiam ma-  
teriæ pertinet. Altera materiam negat esse  
sui formam, illamque in sua essentia vt sui partem  
continere. Quia verò materia non est apta  
fieri forma; aut cum illa copulari, vt forma fiat  
materiæ pars; sed solum eam suscipere velut alie-  
ram substantiæ compositæ partem à se distinctam:

*Materia  
Tene-  
bra, &  
ludus in  
non ens.*

*Socra-  
tis ten-  
entia  
negatio-  
ne con-  
stans.*

*Deum  
negatio-  
ne cogno-  
sci.*

*Negatio  
vt de  
essentia  
materia*

posterior hæc negatio non est priuatio, quia non  
nititur subiecto apto. Est tamen intima materia,  
nec separatur vnquam. Quoniam cum accedente  
forma coniungitur quidem materia, sed non euadit  
forma. Dum igitur materiam pronuntiat Philo-  
sophus nec esse formas, nec earum negationem;  
posset id sanè de priori negatione intelligi. At ve-  
rius de posteriori. Nam etsi ea intima sit materiæ,  
illius tamen naturam non constituit. Quippe ne-  
gatio naturam entis realis positiui constituere ne-  
quit, sed solum eam consequi. Quemadmodum  
quia homo est homo, animal rationis particeps;  
consequens est, eum non esse equum, nec canem,  
Cæterum quoniam ens maximè videtur signifi-  
care actum; potestas autem accedere ad non ens  
(cum enim opponatur actui, videtur esse non ens;  
quodque est potestate, absolute non est; & quod  
est actū, id demum dicitur absolute esse) si ma-  
teria est potestas, nec vllum habet proprium  
actum; videbitur planè esse non ens. Quam ob  
causam fortasse Platoni (quod est in tex. 79. libri  
primi Phys.) esse est esse non ens, neque propriam  
habere ideam. Nosque hactenus naturam eius in-  
uestigantes ab ente & actū ad potestatem & fermè  
ad non ens descendimus, omnes actus, omneque  
ens actū de illa negantes & consistentes tandem  
ad potestatem, qua possit esse omnia illa que actū  
non est.

Iam iterum incipiendo à potestate & non ente  
traducere illam oportebit ad actū & ens eam ostē-  
dēdo, etsi nullū habeat certæ speciei actum, habere  
tamē actū entis & substantiæ: quod erit affirmatio-  
ne cognoscere: atq; ex hoc duplici progressu con-  
trario, negationis & affirmationis, tota illius natura  
quoquomodo cognoscetur. Non defuerunt inter  
latinos interpretes, qui cum Philosophū audirent,  
actus omnes de materia negantem, eamque affir-  
mantem esse potestatem quandam; puram &  
sinceram potestatem esse crederent, quæ & entis  
& existentie actū careat. Hos oportuisset ea, quæ  
breuissimè subiiciamus, considerare.

Potestas, vt potestas est, negationem actus signi-  
ficat, cuius potestas est. Neq; solum negat actum  
sibi esse coniunctum; sed etiam se actum illum  
esse. Immo etsi coniungatur cum actū, postero-  
rem hanc retinet negationem, vt paulo ante dice-  
batur. Quia nunquam potestas sit actus, neque  
materia euadit forma. Et quoniam negatio for-  
maliter est non ens, ratione illius potestas non po-  
test dici ens. Et Aristoteles in tex. 79. citato mate-  
riam concessit ratione priuationis adiunctæ esse  
non ens. Sed si quæ potestas sit ens, ratione ali-  
cuius erit quod negationem non significet. Quæ-  
re cū potestas formaliter sit negatio eius; ad quod  
est potestas; si sit ens, ratione alicuius erit, ad quod  
nō est potestas. Et si quæ detur pura potestas, quia  
negationem solum actus omnis & entitatis signi-  
ficabit, erit omnino nihil. Si enim sit aliquid  
ens actū, non erit pura potestas, quia non erit ad  
omnem actum. Et si potestate solum sit ens, illud  
ipsum, quod est, negabit; cum potestas neget id,  
cuius est potestas: atque ita erit prorsus non ens.

Propterea duplex potestas distinguitur. Quæ  
vna solum significat negationem actus, elk-  
que vere pura potestas, & sua natura non ens. Nam  
si præter negationem significet, actum posse esse;  
hoc nihil est in ipsa, sed aut est, non im-  
plicare actum illum esse, aut agens posse illum  
produ-

*Materia  
non est  
puram  
potestatem*

*Materia  
non est  
puram  
potestatem*

*Quæ  
duplex*

producere. Potestas hæc in scholis obiectiva nominatur. Altera præter intemam negationem, qua ipsa non est actus, significat aliquid in seipsa, quo est apta suscipere actum: & ideo subiectiva vocatur. Hæc ratione negationis est nõ ens: at ratione illius, quod præter negationem significat, est ens. Eoq; magis, quò imperfectior est actus, cuius est potestas. Quoniam dum imperfectioris actus negatio est, plus sibi retinet entitatis. Eò verò minus quò perfectionis actus est potestas. Quia quò maius ens negat, eò minus illi superest entitatis. Quod est potestas ad accidentis formam, perfectius est ens, quàm id, quod est ad eam, quæ substantia. Illud potest esse ens perfectum, & integrum, hoc nequaquam. Vt enim est maius in genere potestatis, quia perfectiorem actum negat: ita minus est & imperfectius in genere entis.

*Actus duplex.*  
 Quoniam igitur præter hanc diuisionem in actum substantia & accidentis, alia est generalior in actum vniuersalissimum & absolutum, qui est actus entis, quo res vnaquaq; absolute dicitur esse; & actum determinatam speciei, quo res dicitur esse talis aut talis; siue sit actus substantia, siue accidentis. Actui posterioris generis respondere potest subiectiva potestas. Quia potestas ad huiusmodi actum non negat omne ens, sed tale ens; potestque esse aliud aliud ens, quod illius subiecti sit. At priori sola respondet obiectiva: nempe potestas Dei, qui solus potest actum entis absolute creare. Non item subiectiva; quia si sit potestas ad actum absolute, nullum habet actum, sed actus omnis negatione: estq; pura potestas, hoc est, omnino nihil. Et quoniam potestas omnis subiectiva præter negationem actus, cuius est potestas, aliquid ens significat, quod illi subiciatur: nulla potestas subiectiva potest esse pura potestas: nec rursus pura potestas potest esse subiectiva.

Quare si materia potestas sit subiectiva, non erit pura potestas; sed actus ens & substantia. Certè præter negationem, qua ipsa non est forma, aptitudinem habet ad eam suscipiendam. Hæc si sit actus, iam materia quidpiam est actus. Si potestate duntaxat, illius quoq; negationem habet, estque non ens. Et si ad actum item entis sit potestas, dum accedente forma sit actus, tollitur negatio actus entis. Et quoniam ea dicitur intima esse materia, peribit materia, quæ perfici potius debuerat. Deinde si vim & naturam actus perpendas; actum omnem, qui det esse, videbis requirere aliquid, cui det esse, & cum quo perfectum quidpiam componat. Indeq; intelliges, nullum formantem actum posse dare actum entis absolute, sed solum actum determinatum talis aut talis entis. Nam si actum entis absolute daret, sicut extra ens nihil superest, ita extra se nihil relinqueret, quod actum illum susciperet.

*Parapotesis in accidentibus.*  
 Propterea in accidentium genere datur pura potestas. Quia cum accidens sit posterius substantia; id, quod est potestas ad accidentia, est aliquid actus in genere substantia. At in substantia non datur. Quia cum nihil sit illa prius, sed ipsa sit primum ens; si quid sit in eo genere pura potestas, fuerit omnino nihil, cum in alio genere aliquid esse non possit. Forma etiam ex materia potestate educitur, hoc est, accipit esse concurrente materia, atq; ab ea pendet vt causa. At nisi sit ens actus, quomodo sit causa formæ? Dum hæc in illa suscipitur, si daret illi esse actus absolute, daret, vt illa susciperet. Hoc apertam inuoluit contradictionem. Si enim

**A** subiectum accipit esse à forma, ipsum per se spectatum non est: & tamen dum dicitur esse subiectum, accipere, & sustentare formam, iam ponitur esse & actu existere. Eset igitur actus, quia actus subicitur formæ. Et non esset, quia non ex se, sed à forma habet vt sit: quòd si ad materiam ipsam te conuertas; ea sanè producta est, & extra suas causas. Et quamuis producta sit cum forma, non tamè formaliter per illius productionem, sed partiali productione distincta. Est actus materia & subiectum generationis & formæ, actu pars substantia composita, generationis & corruptionis expert: habetque actu quosdã veluti actus secundus, subiecti, sustentare, causare, appetere; ex quibus factis intelligitur actus primus, quem secundus omnis supponit. In rerum verò mutatione non perit quidquid est actus in illis; sed aliquid semper manet, quod alios atque alios determinatæ speciei actus suscipiat. Illudque non solum potestate est idè: Quia ex mutatione cognoscitur materia, non vt aliquid, quod in ea hat actus: sed vt id, quod cum iam esset, subiciatur & sustentet ea omnia, quæ in mutatione fiunt: agentisque actionem & formam suscipiens hoc aut illo modo formetur. Quare vt inde cognoscitur catere omni forma speciei, quoniam omnes suscipit; ita intelligitur esse aliquid actus, quia subicitur omnibus, sustentat omnes, perfectamque substantiam actu componit. Et vt opus est subiecto, in quo agentis actio suscipiatur: sic illud oportet esse actus, quòd non secundum id quod est; sed secundum id, quod non est, fieri debeat. Si enim agens deberet illud facere esse, actio illius alio indigeret subiecto: ita in infinitum progredièdo, quousque inueniatur vnum, quod sua natura sit actus. Porro si agentis virtus consideretur, quæ rem totam nequit producere, sed partem eius duntaxat: materiam, quæ est altera pars, oportet sanè esse actus. Alioquin cum potestas formaliter negationem significet; produceretur

**B** tota res ex non ente absolute. Atque in corruptione item cum pars solum rei pereat, alteram necessè est actu remanere. Denique dum eadem accidentia, quæ mutationi antecesserunt, post eam quoque sensum iudicio agnoscimus; vt primas qualitates & triplicem illam præsertim dimensionem, quæ eadem semper manet, mutata duntaxat figura, exteriorique termino, quæ singulæ præscribunt formæ: quemadmodum videmus non omnem accidentis actum perire; sed eum, qui est aptus determinare & dare speciem; manere autem illum, qui determinari potest, ac magis perfici: ita concludimus, aliquid manere eorum subiectum actu, quod sit substantia; quia est accidentium subiectum: deque substantia actibus, qui ex accidentariis colliguntur, idem esse iudicium; Eos inquam perire, qui determinant & dant speciem: At manere illum, qui est aptus determinari & accipere speciem. Huncque esse materiam, in qua omnes alij actus suscipiuntur & sustentantur.

**C** Ita, tum in accidente, tum in substantia, duo actuum genera distinguuntur. Quidam etiam ex se sint determinati, quia sunt actus, possunt tamen per alios magis determinari; non in eo genere, sed in alio. Quare vt in se sint quasi specifici, comparatione tamen aliorum, quo suscipiunt, videntur esse generici & velut potestas. Præsertim quòd actu nunquã existit ea sola ratione, qua sūt in se;

**D** tota res ex non ente absolute. Atque in corruptione item cum pars solum rei pereat, alteram necessè est actu remanere. Denique dum eadem accidentia, quæ mutationi antecesserunt, post eam quoque sensum iudicio agnoscimus; vt primas qualitates & triplicem illam præsertim dimensionem, quæ eadem semper manet, mutata duntaxat figura, exteriorique termino, quæ singulæ præscribunt formæ: quemadmodum videmus non omnem accidentis actum perire; sed eum, qui est aptus determinare & dare speciem; manere autem illum, qui determinari potest, ac magis perfici: ita concludimus, aliquid manere eorum subiectum actu, quod sit substantia; quia est accidentium subiectum: deque substantia actibus, qui ex accidentariis colliguntur, idem esse iudicium; Eos inquam perire, qui determinant & dant speciem: At manere illum, qui est aptus determinari & accipere speciem. Huncque esse materiam, in qua omnes alij actus suscipiuntur & sustentantur.

**E** Ita, tum in accidente, tum in substantia, duo actuum genera distinguuntur. Quidam etiam ex se sint determinati, quia sunt actus, possunt tamen per alios magis determinari; non in eo genere, sed in alio. Quare vt in se sint quasi specifici, comparatione tamen aliorum, quo suscipiunt, videntur esse generici & velut potestas. Præsertim quòd actu nunquã existit ea sola ratione, qua sūt in se;

*Duo à duum generis.*



sed per alios magis determinati & perfecti. In accidentium genere superficies est actus determinatae speciei, sed qui magis determinetur per aliorum actum, nigroris, aut diuersarum figurarum. In substantia actus materiae quidpiam est certum, sed potestate ad omnes formarum actus, quibus magis determinetur. Quare comparatione illorum est quasi genericus, quia est principium corporis. Illique dicuntur specifici, quia tale aut tale corpus efficiunt. Atque hi ad alterum pertinent actuum genus, qui non solum determinati sunt, sed videntur semper esse specifici; faciuntque aliquid, quod per se tale actu reperitur. Et dicuntur actus formales, dantes speciem, & facientes esse actu. Quia semper determinant aliud, nempe actum materiae, constituuntque in specie, ut absque alterius actus aduentu possit in natura coherere. Quia ob causam etiam omnis actus determinet & certum aliquid faciat, actui tamen formali id maximè tribuitur.

*Materia  
ut potest  
sua dicitur.*

Ex quo tandem apparet, quomodo materia, cum ex se quidpiam sit actu, potestas dicatur ad formarum actus: & quomodo detur actus quidam primus, qui nec det speciem, nec determinet aliud: & ideo nec sit formans, nec requirat subiectum; sed seipso sit id quod est. Atque hic est actus materiae. Quem propterea accipiens Aristoteles esse ens & substantiam, definiuit non esse hoc aliquid, sed potestatem quandam: quod nullum habeat certae speciei actum; sed sit informis substantia, potestas ad actus omnes, quibus formari potest & perfici. Et ideo primum ad actus substantiae, quibus tanquam actibus eiusdem generis essentialiter perficitur. Deinde accidentium quoque quibus quoquomodo ornatur, & velut dispositionibus ad substantiae actus preparatur.

*Quantitas materiae si miles, qualitas forma.*

Ceterum materiae persimilis in accidentium generibus quantitas est. Ut enim materia commune quidpiam rebus omnibus est, in determinatum ad omnes formas, potestas, subiectum, & aptum pati solum, non agere. Sic quantitas, tum in genere, tum in specie triplex dimensio, rebus omnibus, quae materiam habent, communis est, indeterminata ad omnes terminos & figuras; & ideo potestas ad illos, & qualitatum omnium quoquomodo subiectum: denique actionem nullam habet, sed passionem solum. Cum natura verò formae nullo modo consentit. Quoniam forma in singulis rebus propria est, determinata, actus, non potestas; vimque habet determinantis & dantis esse, non suscipientis subiecti: ac demum agendi principium est, non patiendi. Cum ea conueniunt potius qualitates, figura, & quantitatis terminus. Et ideo haec tribuntur formae, quantitas per se considerata verius dicitur esse materiae propria.

*Interminata materiae quantitas.*

Quocirca qui materiam dixerunt, omni quidem actu determinatae speciei, siue substantiae, siue accidentis carere; actum tamen interminatum quantitatis trifariam dimensam ita coniunctum habere, ut nunquam ab ea separetur: & sensui & rationi consentaneè loquuti sunt. Etenim qualitates omnes & quantitatis termini mutantur: at remanet semper aliquid trifariam dimensum, quod diuersos duntaxat terminos mutat, ut alias atque alias materia formas suscipit. Nunquam verò videmus aut materiam quantitate omni spoliari, aut eam de nouo suscipere, fierique quantum ex non quanto, aut corrumpi quantum in non

quantum. Generationis namque subiectum oportet esse quantum. Tum quod plures in partes diuidendum est, ut generationibus pluribus & formis simul subiciatur. Tum quod naturale agens nunquam agit nisi in aliquid quantum. Quod & agat per contactum, qui eorum est, quae quantitatem habent: & illius actio materialis & corporea subiectum quantum perturbet, in quo suscipiatur. Nec modo formae substantiae, sed illae ipsae qualitates, quae eas antecedunt, nec producuntur, nec conseruantur nisi in subiecto quanto. Denique ut argumentatur Simplicius in digressionem ad tex. 69. lib. 1. Physic. Id quo materialia differunt ab immaterialibus, per se & propria ratione tribuendum est materiae: differunt autem mole, dimensione, quantitate, & partitione corporea. Hanc Pythagoreorum primum, deinde Platonis, & Aristotelis fuisse sententiam, idem est Auctor. Nam ut ceteros mittam in tex. 14. lib. 4. physico-rum ita loquitur Aristoteles. Quare videbitur species & forma cuiusque locus esse, quo terminatur magnitudo, & materiae magnitudinis. Haec enim est vniuersi cuiusque terminus. Et tex. 15. Quare videtur autem locus esse intervallum magnitudinis, eatenus materia esse videtur. Nam hoc aliud est à magnitudine. Hoc autem est id, quod continetur sub forma, & definitur. Est autem tale materia, & indefinitum. Vtrobique enim Philosophus magnitudinem tribuit materiae, magnitudinis terminum formae. In 3. autem eiusdem operis libro tex. 60. Cum quantitatem ait in infinitum diuidi, non item augeri posse: aut de quantitate loquitur per se considerata, aut quatenus formam habet adiunctam, aut comparatione solius materiae. Si sola quantitatis natura per se consideretur, non minus augeri potest in infinitum, quam diuidi, ut ex tex. 31. 32. & 71. eiusdem libri manifestum est: Propter adiunctam verò formam neque additio, neque diuisio potest esse infinita. Superest igitur infinita diuisio, dum quantitas in sola materia spectatur, quae nullum sibi constituit terminum: non item additio, quod infinita non suppetat materia, quae semper addatur. In priore libro de ortu, & interitu tex. 31. Accipit ut impossibile, materiam esse sine quantitate, & tamen in ea fieri generationem. Et in tex. 32. Impossibile est, inquit, à magnitudine materiam esse separatam. Et in tex. 6. posterioris libri. In elementorum productione primum principium ponit materiam, quam corpus nominat potestate sensibile; & alterum contrarias qualitates, tum ex his elementa existere. Quo loco cum & materiam appellet corpus, cui statim qualitates adueniunt; omnino significat triplicem illam in ea dimensionem corporis nomine significatam. Omnia enim alia accidentia quantitate supponunt. In tex. etiam 24. primi libri eiusdem operis, & tex. 27. & 29. libri secundi, qualitates communes elementi corrupti vult in genito remanere, & ideo in tex. 25. & 34. faciliorem esse inter symbola, quam inter alia symbola, mutationem. Potiori igitur iure quantitas rebus omnibus communis eadem semper incorrupta manebit; immediati nimirum in prima materia sustentata. Quod spectare videtur id, quod est in tex. 67. libri 3. de Caelo, elementa vicissim mutari propriis ipsorum corruptis differentis. Si enim haec sola interire debent, interibit nunquam quantitas communis omnibus, atque in primis necessaria.

necessaria. Denique in tex. 8. lib. 7. Metaph. cum quæreret, Num materia sit substantia; triplicem respondet dimensionem non esse substantiam, sed quantitatem; illud verò, cui ea primò inest, esse substantiam, quoniam si ea tollatur, nihil remanet nisi materia. Triplex igitur hæc dimensio primò & immediate in materia inest.

Propterea Ammonius in Cômētariis libri Categoriarum, vbi diuisionem entis exponit in decem genera; & rursus in caput de Quanto, eam docuit fuisse causam, cur Philosophus statim post substantiam egerit de quantitate, & antequam de qualitate diceret; Quoniam, inquit, quantum secundum sibi locum in rerum natura vendicat. Prima enim materia cum incorporea, informis, infigurataque sit, prius in molem elata quantitatem consequitur, ac tres dimensiones capit, sitq; triplici præditum distantia, quod secundum subiectum Aristoteles nominat. Tum sic qualitates suscipit & fit compositum, facitque elementa. Et Philoponus in cômēt. ad tex. 78. lib. 1. de Anima. Ignis, ait, vt corpus est, consubstantiale, hoc est substantiæ suæ vnitam & formantem habet trinâ dimensionem; vt verò ignis, calorem & siccitatem; & cômēt. ad tex. 21. libri 3. Informi, inquit, materia prima forma ante omnes alias formas hæc accedit magnitudo. Primùm enim quantitatem, deinde sic qualitatem suscipit; & quæ sequuntur. Hæc fuit Peripateticorum sententia.

Ergo vt materia in genere substantiæ ita est potestas ad speciem actus, vt ipsa in se non sit pura potestas, sed quiddam actu indeterminato: sic in sua essentia omni quidem caret accidentis actu, quia est substantia; non est tamen omnino nihil in accidentium genere. Sed veluti propriam affectionem habet actum illum indeterminatum actui substantiæ indeterminato respondentem: estque potestas ad actus omnes determinatos qualitatu & figurarum, qui talem efficiunt rem, qualis existit. Si enim actus singularum specierum affectiones quedam consequuntur, quidam actus quoque ille entis & substantiæ, quem materia significat, adæquatam aliquam & convenientem sibi proprietatem habet?

Nimirum potest actus ille duobus modis considerari. Primùm vt est actus in se, qui est essentia materiæ. Atque ita respicit alium quempiã actum in genere accidentis, qui tanquam proprietas inseparabilis ipsum consequatur. Et ideo debet illi esse adæquatus & proportionem respondens; nempe indeterminatus, quemadmodum est actus ipse materialis substantiæ. Deinde vt est indeterminatus & imperfectus. Quomodo respicit actus formales, non vt proprietates sibi debitas, sed vt perfectiones determinantes & perficientes. Ita fit, vt prior ille actus, quem tanquam proprietatem respicit, non sit specificans; vnus tamen & adæquatus. Posteriores autem hi debeant esse specifici, plures, & inadæquati. Priorem respicit materia tanquam actus & perfectio quadam; Posteriores velut potestas & imperfectum quiddam ad hanc & illam perfectionem suscipiendam indifferens. Et ideo posteriores hi actus separabiles sunt, prior inseparabilis. Nec tamen per eum materia intimè constituitur, vt nec natura quæuis per suam proprietatem: sed est velut materiæ dispositio, vt sit subiectum ad alios actus suscipiendos idoneum; & ideo omnes illos antecedit.

**A** Quæ est ratio, cur accidentis potius, quam substantiæ, forma concedatur materiæ.

Quoniam nec potest primus substantiæ actus esse formans; quòd priorè nullū habeat, quem formet. Sed primus substantiæ actus est actus subiecti, quæ ab aliis formetur. At in accidentium genere primus actus potest formare, quia supponit actū illum substantiæ, in quo suscipiatur. Quare cum ad rationē subiecti pertineat, vt sit primus actus, quoniam omnibus aliis subicitur; subiectum oportet esse primum substantiæ actum, neque habere potest actum substantiæ formantem sibi adæquatam. Quia omnis huiusmodi actus substantiæ est secundus, & ideo determinatus & constituetis speciem. Potest tamen habere in accidente. Quòd primus accidentis actus potest esse formans. Et cum sit primus, non est omnino determinatus, aut ita specificans subiectum, vt cum eo solo possit actu existere.

Hæc igitur fuerit materiæ informitas: vt nihil sit actu eorum, quæ in aliqua specie perfecta existunt; sed potestas ad omnia. Neque intimè per formam vllam sue substantiæ, siue accidentis, constituatur. Immo nec vllam habet substantiæ sibi propriam & inseparabilem; sed ad omnes sit indifferens. In substantia tamen quiddam actu indeterminatum, & imperfectum. Quod in accidentium genere interminatam sibi vendicat quantitatem, tanquam proprietatem & actum adæquatam atque inseparabilem. Ad extremum ex hac informi potestate, dum in quâ formas non habet, quas habere pollet, existit illa priuatio, de qua in primo Physic. Aristoteles, neque hoc loco plura de illa dicenda sunt.

*Tertia Digressio Pars. De voce, ἐπιπέγεια.*

**V**enio ad tertium & postremum, quod propositum. Nam Aristoteles dum formā dixit esse actum, nouam & ante ipsum inauditam vocem pronuntiauit. *ἐπιπέγεια* enim nominauit. Quam Philoponus, propterea quòd perfectionem significat, oppositam putat potestati, quæ imperfecta est, & materiam indicat, cui forma perfectionem adfert.

Eam porro vocem fuisse nouam, & tunc primùm excogitam, fatentur hoc loco Græci omnes interpretes, Porphyriusque, & Dexippus in Categoriarum librum. Immo Themistius Hermolao interprete horrentem quoque dixit. Moment verò Porphyrius, & Dexippus, voces quidem significantis rebus fuisse impositas: at non nisi rebus notis ac patentibus potuisse iampridem imponi, easque in communi omnium ore, & vsu versari. Voces autem earum rerum, quæ ad scientias pertinent, non nisi à scientibus quærendas esse: & Philosophos, qui abdita & plerisque ignota exponit, nouis ad ea explicanda vocibus indigere. Propterea aut nouas finxit Aristoteles, vt entelesia; aut iam positas ad alium significatum traduxit, vt *ἐπιπέγεια*, quæ accusationem in iudiciis antea significabat, detorta est ad superioris de inferiori attributionem significandam. In libro quoque Categoriarum, cum nouas videret sibi voces esse fingendas, alatum, capitatum, teomonatum, vt; relata ostenderet reciproce dici; prudenter admonuit, interdum esse necessarium fingere nouum nomen, si proprium illi rei, de qua

D d iij

*Primus substantiæ actus non potest esse formans, accidētis potest.*

*Materia informis.*

*Vocem impositio. Et vsus.*

*Categoriarum.*

agitur, non sit impositum. Quod Galenus quoque in lib. de symptomatū differentiis capite primo confirmavit. Satius enim est novas cogitare voces quam minus apte & accommodatè rem exponere.

*Entelechia quid.*  
I. Jam quod spectat ad hanc vocem (entelechia) celebris est illius interpretatio, quam in prima Tusculana attulit Cicero. Interpretatus autem est perennem, & continuatam motionem. Quam interpretationem conatus est aduersus Argyropilum defendere vir omni poliore litteratura perpolitus Angelus Politianus in Miscellaneis. Duobus autem modis visus est defendere. Aut quod non *ἐντελέχεια* sed *ἐπιτελέχεια* legerit Cicero: entelechia autem eam vim habet, perennis & continuatæ motionis. Aut quod entelechiam tanquam nouam & inusitatam vocem maluerit ita exponere, vt Aristotelem cum Platone in animæ natura conciliaret. Verum hanc Tullij defensionem ad sui magis ostentationem à Politiano susceptam fuisse iudicauit Budæus in primo libro de Alsè, quam quod criminis diluendi fiduciam haberet.

2. In eodem tamen errore fuerunt illi, de quibus Julius Cæsar Scaliger exercitatione aduersus Cardanū 307. cap. 39. qui entelechiā græcè legentes, actum, quem vertit latinus interpres, ita exposuerunt, vt agitationem significaret. Quæ interpretatio destruit planè ea omnia, quæ à Philosopho dicta sunt: tantū abest, vt germana sit & accommodata. Primum enim substantiam diuidens in materiam, formam, & compositum, partem eam substantiæ, quæ est materia, *δυσκωμω* appellat; & eam, quæ est forma, entelechiam nominat. Ex quo loco tria intelliguntur. Primum, entelechiā dici actum, qui potestati & materiæ opponitur; quod Philoponus adnotauit. Alterum, entelechiam appellari formam omnem substantiæ, tanquam partem substantiæ compositæ: quemadmodum *δυσκωμω* dicitur omnis materia, quæ illius est pars. Tertium, nomine entelechiæ & actus intelligi nequaquam posse perennem motionem aut agitationem, quæ operationem duntaxat significant. Accedunt hæc argumēta. Primum hanc entelechiā ponit Aristoteles substantiæ partē, quæ simul cum materia compositam substantiam constituat, & velut substantiæ actus respondeat materiæ tanquam potestati eiusdem generis. Id de motione & agitatione non dixerint earum patroni. Deinde eam partitur in entelechiam primam & secundam, in scientiam in quam seu habitum non operantem, atque in contemplationem & operationem, seu habitum operantem. Motionem & agitationem quomodo ita partientur? Tum verò cum dixisset in tex. 4. Animam esse corporis formam; subiugit in tex. 5. eam illius esse entelechiam: non vt contemplationem & vigiliam, hoc est vt operationem; sed vt scientiam, & somnum. Non poterat apertioribus verbis dicere, non esse motionem, aut agitationem, sed velut habitum omni operatione priorem. Sic enim colligit in tex. 6. animam esse entelechiā primam. Et in tex. 7. ex anima & corpore fieri vnum, quoniam anima est entelechia & actus, maximeque ens est vnum. Motionem aut agitationem certum est nec facere vnum per se cum eo, quod mouetur, aut agitur: nec esse maxime ens, neque habere rationem vnitatis, quam possit suo subiecto

tribuere: sed ab eo potius mendicare, generali accidentium omnium conditione. Verum ea omnia ad actum primū pertinere, qui motionū & agitationū principū est. Propterea cum in tex. 6. & 7. animam dixisset esse entelechiā primam; addidit in tex. 18. & 24. eam esse principium, quo primum viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; quibus verbis apertissime ostendit, entelechiam, quam animam nominauit, prius aliquid significasse, ex quo motiones omnes & agitationes in viuentibus existant. In tex. 8. & 9. An non animam, quam corporis entelechiam esse docuerat, ostendit esse formam ipsius essentialē; qua subblata nō amplius dicitur esse tale, nisi omyonmē; sicut oculus pictus, aut lapideus? Nūquid motionem, aut agitationem dicent esse formam corporis animati essentialē? An non corpus oportet habere animam antequam moueatur, aut agitur? Philosophus quidem certè in tex. 10. aperte scripsit, animam non esse vt incisionem, aut visionem; sed vt incidendi facultatem, aut videndi. Si igitur anima sit entelechia, entelechiam hanc interpretari non licet motionem aut agitationem. Non enim esset anima motionis omnis & agitationis principium. Propterea quod hæc duo in vnum non conueniunt, principium & effectus, aut facultas operandi & operatio. Alioqui perempte effectu & operatione facultas item operandi & anima perirent. Quæ ratio adduxit nimirum Philosophum, vt animam diceret esse entelechiam primam, non secundam. Voluit etiam esse substantiam. Motio omnis & agitatio viuentium sunt accidentia: & quidem fluxa & inconstantia; quæ eo duntaxat tempore sunt, quo fiunt. Vidit postremò animam non modò principium esse motus, sed & quietis. Non potest igitur eius vis & natura in motione & agitatione versari.

Hoc ipsum intelligitur ea motus definitio propoſita, quam in tex. 6. lib. 3. physicorum legimus. Eo loco *δυσκωμω* quoque opponens Philosophus entelechiam, quemadmodum hoc loco motum definit esse entelechiam eius, quod est potestate, quatenus est potestate. Et tex. 16. esse entelechiam mobilis, vt est mobilis. Si entelechiā motionem & agitationem interpretetur, ineptissimus fuerit Aristoteles, qui motum definituent motionem esse aut agitationem. Et ineptior multò, si perennem & continuam motionem addat Cicero. Nam si perpetuam velit, vt cum Platone visus est velle: soli cælesti motui, qui solus perpetuus est, definitio conueniet; animæque definitio soli intelligenti animæ: Siquidem breui tempore intereunt, atque à motione cessant reliquæ. Sin autem successiuam velint; & in anima sunt operationes complures momentaneæ, & anima sentiens atque intelligens operationem seipsissimè intermittit; atque inter species motus numerantur ortus & interitus, qui entelechiæ item sunt eius, quod mouetur; & tamen momento temporis absoluantur.

Peripatetici ergo (tametsi Simplicius *ἐπιτελέχεια* loco malit legi (secus in commentariis ad Categoriarum librum in sua tractatione sex principiorum) motum dicunt entelechiam fuisse dictum. Aut quod idem sit re cum forma, quæ est entelechia. Aut quod ad entelechiam, hoc est formam perfectam, perducat. Sic etiam Alexander commentario 6. lib. 9. Metaph. Aut etiam (& fortasse melius)

melius) quod duplex sit entelechia: vna prima, altera secunda. Et vt anima & qualibet forma perfecta per se considerata, vt solum dat esse, & perfectionem materiae, appellatur entelechia prima; sic motus seu forma, vt est in motu & operatione, dicitur entelechia secunda. Motiturque haec vox aptissime in ea definitione. Tum quod motum ostendat esse idem cum forma, seu mobili, quae mouentur. Tum quod motum significat esse viam quandam ad perfectionem, actumque quempiam secundum: sicut entelechia secunda actus secundus est entelechia prima. Tum vero quod esse eiusmodi actum secundum & operationem est quid commune, & veluti genus specierum omnium motus, & aliarum omnium operationum.

Quod igitur isti perennem & continuatam motionem atque agitationem interpretantes Aristotelem velint cum Platone conciliare, omnino mirandum est. Nam is in primo libro maxime laborauit, vt tum Platonis, tum eorum omnium sententias confutaret, qui in motione, atque agitatione vim animae positam esse affirmauerat. Proflusque confecit, eam esse per se immobilem. Quo modo igitur animam nunc diceret motionem esse atque agitationem? An non plantarum animas, & vero etiam animalium complurium immobiles esse, Terra & scopulis adhaerentes, & vidit ipse, & Platonem atque alios obicit? Praeterea si entelechiam nunc perennem dicas motionem seu agitationem; quid tandem de forma terrae, grauiumque omnium corporum affirmabis, quae perpetuo quiescunt in centro? Et tamen entelechia Aristoteli formas omnes significauit.

Quod vero addidit M. Tullius, Aristotelem animam fecisse ex quinta quadam essentia, merum fuit hominis somnium. Nulquam enim apud eum aliam reperies quintam essentiam, quam caelestem substantiam, quam in primo lib. de Caelo, quantum esse corpus simplex ab elementis diuersum firmis rationibus demonstrauit. Quamquam propterea videtur Cicero entelechiam interpretari perennem motionem, quod quinta illa caelestis essentia perenni agitur motu: & ex ea fortasse Philosophum credidit animam efformasse. At is est intelligentem animam forinsecus dixerit aduenire, non tamen propterea credidit partem aliquam esse Caeli ad nos aduentantem. Quin potius & illud corpus ab omni ortu, interitu, atque alteratione immune esse docuit; & hunc animum immaterialem profus & impartibilem; adde, & intelligentem: reliquas autem animas ex sublunaris huiusce materiae potestate totas educi.

Mirro, quod idem Auctor scripserit, putasse Aristotelem cogitare, amare, odisse, meminisse, timere, letari, & his similia solius esse animae, non corporis. Cuius contrarium aperta oratione docet in tex. 63. & 64. primi libri. Sed in illius vocis proposita enolenda notione persistendum est. Per multa enim de hac ipsa Tullij interpretatione, Politiani que & aliorum deiectione scripsit Franciscus Vico mercatus in ea, quam edidit de Anima rationali peripatetica (vt ipse nominat) disceptatione. Ex iis autem, quae hactenus disputata sunt, non solum cognoscitur Tullij lapsus, & eorum, qui illius patroni esse voluerunt: vt non alio modo iudicauerit Caius Rodignius capite 22. libri 2. antiquarum lectionum; interpretationem eam posse defendi, quam dicendo, subdititiam fuisse,

A neque ex Tullij officina profectam. Verum etiam Esichij quae Simon Portius in lib. de humana mente testatur existimasse, entelechiam hoc loco usurpatam fuisse pro energia, quae operationem significat.

Communis nimirum Graecorum omnium expositio, tum propter Graecae linguae cognitionem, & Aristotelis doctrinae scientiam; tum quod & rationi & Aristoteli maxime consentanea sit, est omnibus anteponenda. Perfectionem quandam ea voce significari omnes illi voluerunt. Themistius perfectum habitum, seu maius habitum perfectionis; perfecti habitum vertit Hermolaeus. Sic etiam Porphyrius, & Dexippus loco ante notato. Reliqui, vt Alexander, Philoponus, Simplicius; & vero etiam Plutarchus in primo libro de Philosophorum placitis cap. 2. perfectionem interpretantur; formamque dictam esse entelechiam, quod species sit & perfectio, tum materiae, tum compositi, quod eam habet. Itaque Sextus philosophus ( licet quibusdam fortasse iniuriosior videatur ) non sine causa in opere aduersus Mathematicos cap. 17. Grammaticos scripsit, & eos, qui politiores duntaxat litteras proficentur, scire penitus non posse quarundam dictionum vim, quae scientiarum propriae sint. Inter quas entelechiam nominat. Quemadmodum enim dictiones haec a scientibus & philosophis inueniuntur ad ea explicanda, quae sunt scientiarum propriae; sic earum vis non nisi ex scientibus & philosophis quaerenda est.

At quoniam haec vox ex tribus partibus coagmentata videtur, ex *εν* & *τελεω*, inde varia fuerunt illius deductiones ad formam perfectionem significandam. Philoponus deriuauit *από τῆς εν*, quod est vnum; & *τελεω*, perfectum; & *συνεχειν*, continere: quod forma sit causa vnionis & perfectionis materiae, eamque contineat. Tribusque illis partibus vocis tria illa explicentur, quae materiae praestat forma, vnire, perficere, continere. Quare forma illa, quae motum terminat & finit, appellari solet *εξω*, hoc est habitus; quo praesente cessat motus; propterea quod finem suum obtinerit; materiaeque possideatur a forma, quam quaerebat. Simplicius vero hoc solum dissentit a Philopono, quod *εν* voluit significare, in. Eandemque sententiam indicauit in tertio libro physicorum; vbi Aristotelem dixit interdum fortasse entelechiam pro energia posuisse. Verum pro sola energia perfecta: quia tunc vnumquodque in sua perfectione continetur, quando actiones secundum naturam reddit. At Iulius Caesar Scaliger inter Latinos, exercitatione ante notata c. 12. deduci voluit *από τῆς εν*, quod est, in; quia forma tota pertradit materiam; & *τελεω*, id est finis & perfectio; quod anima quae entelechia dicitur, vltima sit sublunarium forma, & inter eas princeps: Ademum *εξω*, id est posse; quoniam ab illa facultates omnes & operationes oriuntur. Quapropter quia est *εν*, colligit in cap. 39. entelechiam esse substantiam; & compositi formam, quia est *συνεχειν*, ex quo fit aliquid, ita vt insit. Sed vult idem omnino esse, quod *εξω*, *μενεειν*, *λεγειν*, *τι η εν εναι*. Haec pugnare videntur. Nam entelechia esse idem, quod haec omnia, quae postremo loco commemorata sunt, vere quidem dictum videtur. Formam enim vniversae Philosophus entelechiam appellauit: forma autem & *εξω*, & *μενεειν*, & *λεγειν*, & *τι η εν εναι*, saepissime dicitur. At non video, quomodo id constet cum eo, quod

4. Quid dicitur entelechia

Varia dicitur de termino.



eodem loco scribit, maiorem esse *τελειότερον* ambitum, quam ut ad speciem & formam definitionem adstringi debeat. Præsertim cum Aristoteles ipse formam uniuersam appellat entelechiam, id est perfectionem. Deinde entelechiam verè asserit dici *ἐπὶ τῷ ὅλῳ*, sed ratio, quam adfert, quod anima sit vltima forma inferiorum princeps, nescio quam verè addatur. Siquidem entelechiæ nomen non solum animæ conuenit, sed omni formæ. Et si soli animæ conueniret, intelligentem solum significaret, quæ omnium vltima est & suprema. Tum verò quod dicit entelechiam *ἐξεί*, quoniam ab ea facultates omnes oriuntur; anima videtur proprium, non cæterarum formarum, quæ tamè entelechiæ sunt. Immo Aristoteles entelechiam diuisit in primam & secundam, quæ operationem comprehendit: non tam sanè ob causam, quod facultatum principium sit, cum sit potius effectus. Postremò dum entelechiam ait esse substantiam, congruenter Philosopho loquitur, qui substantiam formam significat appellauit. At dum scientiam quoque & contemplationem, somnum & vigiliam entelechias quædam, tum primas, tum secundas, significare subiunxit: & interpretes Græci ea voce contineri voluerunt accidentium quoque & artium formas; quia materia, in qua sunt, perfectiones existunt; & fines operationum, quibus productæ fuerunt: manifeste ostenditur eam latius multò patere. Et verò in 3. libro physicorum motus appellatur entelechia. Et ut motus localis dici possit re ipsa substantia, quia est idem re cum corpore, quod mouetur: & substantiæ item ortus; quia est idem re cum forma, quæ oritur: alteratio tamen & accretio, quæ sunt idem cum forma quædam, quæ à substantia re distinguitur, omnino non possunt. Præterquam quòd eo loco definitus fuit motus formaliter, ut à mobili aut forma distinguitur; eaque ipsa ratione entelechia nominatus.

Ergò hæc vox Aristoteli perfectionem quamlibet significauit, siue substantiæ ea sit, siue accidentis; siue naturæ, siue artis: neque animam solum, aut substantiæ quamlibet formam, sed multò plura comprehendit. Quare illud quoque verè affirmabitur, tam non significare partem compositi. Quoniam nec accidentis formæ, nec artis, sunt compositi substantialis partes, neque entelechia secunda, neque motus. Ratio autem illa, quia est *συνείδησις*, ex quo fit aliquid, ita ut insit; viderint Peripatetici quam sit accommodata. *συνείδησις* enim seu elementum, & esse id, ex quo fit aliquid, ita ut insit, materiam solet Aristoteli significare; cui hoc loco formam & entelechiam opposuit.

Multò aptius entelechiã deduxit Budæus, quasi *ἐντελέχεια ὁμοζῆλον*, id est perfecti corporis comprehensionem. Est enim anima comprehensio corporis organici, quod omnium est perfectissimè dispositum. Sed vocem, quam Philosophus formæ omni communem esse voluit; Nec formam modò, sed actum quoque secundo & operationis; nimium Budæus ad solam contraxit animam, quæ sola est eiusmodi corporis comprehensio. Aptum nihilominus erit deductio, si cuiusvis corporis perfectionem significet. Nec tam dicatur comprehensio perfecti corporis, quòd ipsa perfecte corpus supponat; quam quòd perfectionem illi, tum actus primi, tum secundi, adferat. Quod vero addit, entelechiam Aristoteli esse mortalem, nullo modo probandum esse, post ostendam.

A Interim maneat, hanc vocem perfectionem & finem significare: & ideo aptissimè nominare formam, quæ perfectio est & finis totius naturæ. Propterea duplex proponitur entelechia, prima, & secunda; quia duplicem formam perfectionem adfert. Alteram tribuendo seipsam, quæ perfectio essentialis est, absoluta, & permanens. Hæcque non substantiæ modò formam, sed accidentis quoque & artis comprehendit. Nam & albedo entelechia quædam est corporis albi, & figura statue: cum & illis perfectione addant; & finis sint illius motus, quo producuntur. Quamquã hoc loco Philosophus Categoriam substantiæ diuidens solã substantiæ formam visus est entelechiã appellare; quòd ea sit omnium perfectissima, vltimãque; motuum omnium, atque adeo aliarum formarum finis. Sed dum scientiam addidit, somnum, figurã ceræ, securis formam, & similia; eadem voce accidentis item & artis formas indicauit contineri. Alteram perfectionem adferre forma quatenus operatiua est, efficax, & actionis principium. Quæ tota perfectio accidentaria est, solique naturali formæ, siue substantiæ, siue accidentis, conuenit. Illi tanquam præcipuo operationis principio, huic velut instrumentario & proximo. Artis forma nullã habet operationem, sed est entelechia prima sine secunda. Est enim iners, stolidã, & ad operandum inefficax. Operatio autem formæ naturalis est & ipsa entelechia; quia & est operantis perfectio, & finis rationem habet. Siquidem vnaqueque res censetur perfecta cum operationem habet suæ naturæ conuenientem. Itaque non quamlibet operatio appellatur hoc loco entelechia; sed ea sola, quæ à forma perfecta proficiscitur. Quomòdò hæc illius perfectio est & finis; velut perfecta contemplatio, quæ ex habitu & scientia oritur. Hoc ex tex. 2. & 5. manifestum est. In quibus sciencia dicitur entelechia prima, & contemplatio ab ea perfecta entelechia secunda. Et ex tex. 6. entelechia prima est prior secundam; ut scientia prior contemplatione. Quamquã dum addit, priorè esse in eodè, non obscure significat posse operationem quoque significare, quæ perfectam formam antecedit. Sed responderi possit, eam significare operationem, quatenus à forma perfecta nascitur, quæ est in altero; atque ut vim habet actionis potius, quam passionis. Ceterum ut actio agentis, ita passio patientis est perfectio. Est enim acquisitio formæ & perfectionis. Et ideo non solum actio ut est actio, sed etiã ut est passio dei poterit entelechia secunda. Potius tamè actio: quoniam ea non solum est agentis perfectio, sed à perfectione quoque oritur, atque ab entelechia perfecta in agente seipsum alteri communicat. Passio enim etiam patienti perfectionem adferat, in illo tamèn ex inopia & imperfectione nascitur: habetque semper imperfectionem aliquã adiunctam. Tam verò motus ipse ut formaliter ab actione & passione distinguitur, entelechia secunda dicitur in tex. 6. lib. 3. physici, quatenus via quæ dicitur & tendentia ad perfectionem; adfertque mobili, aut etiã formæ, quæ paulatim acquiritur, perfectionem. Ita entelechia secunda operationem omnem significare poterit, quamuis perfectissimã potissimum. Videbiturque non immeritò posse motus, licet imperfectus sit, entelechia appellari. Quæ ob causam Philosophus ut hæc motus entelechiã ab aliis, quæ sunt perfectiores, distingueret, ostenderetque aliquã habere imperfectionem admittit: in motus definitione potestatem adiunxit, quæ imperfecta est;

& hoc quoque loco perfectioni formæ opponitur. Itaque dici poterit, eum interdum pro eodem usurpasse entelechiâ, & energiam; & cum motum entelechiam dixisset, energiam mox sæpius vocavit. Et in tex. 18. illius 3. phys. eandem vocem pro eadem re omnino usurpavit. Et quod in tex. 15. & post in hoc lib. 2. de Anima. tex. 54. & in 3. lib. tex. 28. motû dixit esse energiâ imperfectâ; in tex. 40. lib. 8. phys. entelechiâ dixit imperfectam. Ex quo ipso loco apertum est, operationem quamlibet, vel imperfectam, dici posse entelechiam secundam ac proinde tãtundem valere entelechiâ secundam & energiâ. Nisi in eo differant, quòd energia æquè operationem quamlibet significet, entelechia potius perfectam.

*Assistit forma ad entelechia*  
Sed quamvis entelechia prima propriè solam significet formantè formâ, dantemque materiæ illud esse primû, vnde in naturalibus oriri entelechia secunda possit, vt perspicuû est ex tex. 2. colligi tamè videtur ex tex. 11. assistentè quoque formam significare. Quippe eo loco proponit Philosophus, num anima sit corporis entelechia, sicut naua nauis. Verùm ex Græcorû interpretum sententia verba hæc non de assistente forma, sed de per se subsistente, formate tamen pronuntiatâ fuerunt. Itaque entelechia prima solam formantè formâ significabit; quod ex tex. 2. cognoscitur. Ea enim sola materiæ adfert perfectionè actus primi, velut habitû. Forma verò assistens nullam, nisi actus secundi & operationis. Vt si quam habeat entelechiâ rationem, ea sit secundæ potius, quam prime. Haftenus satis, superque de huius vocis significatione: quam non immeritò dixit Philoponus esse omonymam.

TEXTVS.

*Ὅτις δὲ μαθηματικὰ εἶναι δεκτικὸν τὰ σώματα, ἃ τούτων τὰ εὐκλείδου τούτων δὲ ἄλλων ἀρχαί. ἢ ἢ φυσικῶν, τὰ μὲν ἔχει τὸ σώμα, τὰ δὲ οὐ ἔχει. Τὸ μὲν δὲ κίνησιν τῶν δὲ ἀνορθωσὶν τε, καὶ ἀκίνησιν, ἢ εἰσὶν ἀπὸ τῶν αὐτοῦ φυσικῶν μέρων τῶν ὁρίων, εἰσὶν δὲ εἰν, εἰσὶν δὲ ὁρίων δὲ αὐτοῦ.*

*Text.* Substantia autem maximè videntur esse corpora, & horum naturalia. Hæc enim aliorum principia. Naturalium autem alia quidem habent vitam, alia autem non habent. Vitam autem dicimus, quæ per ipsum sit, alitionem, & accretionem, & decretionem. Quare omne corpus naturale particeps vitæ substantia vitæque fuerit. Substantia autem sic ut composita.

COMMENTARIUS III.

Perique Latinorum ita hunc textum interpretati sunt, vt tres alias voluerint diuisiones subici. Primâ substantiæ in corpoream & incorpoream. Alteram corporis in naturale & artificiosum. Tertiam corporis naturalis in viuens & non viuens. Vt ex his omnibus tandem colligatur, cuiusnam actus sit anima; nempe corporis naturalis potestate vitæ habentis. Quod accommodatè quidem videtur dici: sed id, quod dicitur, minimè erat necessarium. Quoniam exclusâ substantia incorporea, iam eam solam diuiserat, quæ est corporea, in materiam, formam, & compositum.

Itaque meliùs Græci & Auerroës ad antecedentem illam diuisionem interpretantur addi comparationem quandam trium illorû mēbrorum: nempe compositum esse maximè substantiam comparatione materiæ & formæ. Tum quia vtriusque partibus substantiâ cōtinet. Tum quia maximè propriû substantiæ est per se existere: Compositum autem

perfectissimè per se existit, hoc est subsistit. Quod enim ait (corpora) non significat corpora mathematica, aut artificiosa; sed composita ex materia & forma. Quidquid enim materia constat & forma, corpus est. Hæc inquam corpora intelligit. Tum quia hæc erant tertium diuisionis antea propositæ membrû. Tum quia corpus mathematicû non est substantia, sed quantitas, triplex dimensio. Artificiosum autem præter compositû naturale ex materia & forma substantiæ, nil addit, nisi figuram quâpiam, quæ est accidens. Et ideo quatenus artè constat, ad substantiæ genus non pertinet: sed solum quatenus est lignum, aurum, aut eiusmodi aliquid materia & forma naturali constans. Quoniam tamen hæc ipsa artificiosa corpora sunt substantiæ, quatenus naturali corpore constans; & mathematica in corporibus naturalibus existunt: addit Philosophus, hæc naturalia corpora maximè omnium esse substantias; quatenus scilicet naturalia sunt.

Quia hoc modo materia & forma constant, quæ sunt substantiæ. Quatenus autè Mathematica sunt, aut arte constantia, quantitatem significant, aut figuram.

Porrò naturalia corpora maximè omnium esse substantias, hoc argumento ostendit. Quia sunt aliorum principia, nimirum totalia. Alioqui eodè

argumento probati posset, materiam & formam esse magis substantias, quam compositum; quia sunt illius principia. Naturalia verò aliorû principia esse dicuntur. Mathematicorû quidem, non solum propter mentis nostræ cōceptionem, vt ait Philoponus. Quia vt habet Simplicius, mathematica à naturalibus abstrahuntur. Quam sanè ob causam maximè videntur illorû dici principia. Verum etiam in genere subiecti & finis. Quoniam & in naturalibus substantantur, & sunt propter illa; quæ admodum accidentia omnia propter substantiam. Artificiosorum verò in genere materiæ, ex qua sunt: & subiecti, in quo sustentantur: & exemplaris, quod imitatur; siquidem Ars imitatur naturam: aut etiam efficiētis, cuius virtute perficiuntur. Quocirca hoc, quod dicitur ab Aristotele, corpus naturale maximè esse substantiam; aut ad materiam referri potest & formam; quæ & substantiæ sunt, sed velut partes & inexistētes potius ipsi corpori, quàm per se coharētēs (si solam intelligentem excipias animâ) & aliquo modo dici possunt corpora, saltem imperfecta & inchoata; quia sunt substantiæ corporeæ, partesque corporum. Aut ad corpora Mathematica, quæ, vt est apud Simpliciu, à Pythagoricis dicebantur esse substantiæ: & ad artificiosa, quæ ignarû vulgè iudicat esse substantias.

*Naturalia corpora ut aliorum principia.*

Cum igitur naturalia corpora sint maximè substantiæ, quartam addit diuisionem. Ea est naturalis corporis in corpus animatû, quod habet vitam; & inanimatum, quod vita caret. Quid autem sit habere vitam, aut non habere, ostēdet vitæ definitio. In qua tamè Auerroës solam visus est nominis explicationem agnoscere. Vita est ea, qua aliquid se ipsum nutrit & auget. Quare omnia illa corpora creduntur viuere, quæ eiusmodi habent in seipsis nutritionis suæ & auctiois principium. Quæ verò non habent, omni carere vita existimatur. Si enim exteriori sola additione materiæ augeatur quidpiam, vt si aqua addatur aquæ, aut terra terræ; non propterea dicitur habere vitam, quòd maior euadat moles. Neque idcirco creditur ignis viuere & nutriri; quòd ius suam naturam apposita ligna

*In anima non nutriri nec augeti.*

commutet. Quoniam dum ita agit, non seipsum nutrit, sed ex proxima materia aliud sibi simile gignit. Ea nutriunt seipsa & augent, quae instrumenta habent à natura fabricata, quibus & alimentum suscipiant intus, & in seipsis coquant; ut ita ex illo nutriantur & per omnes partes augeantur; eademque persistant semper, non in alia atque alia continenter mutantur.

Inde colligit Philosophus, omne corpus naturale & viuens esse substantiam: non quamcunque, sed compositam ex corpore & anima, velut ex materia & forma. Quo loco probasse videtur animam esse substantiam. Nam si corpus viuens sit substantia composita ex corpore & anima, ut ex materia & forma; consequens est & corpus & animam esse substantias. Non solum enim corpus viuens compositionem habet corporis ex materia & anima, sed etiam quatenus est viuens. Quare animam, quae substantiam eam compositam facit, necesse est esse substantiam. Quippe omnis composita substantia, ut in text. 2. positum est, ex materia & forma constat, quae sunt substantiae.

Porro cum vitam definiuit Philosophus, quae per ipsum sit alitione, accretione, & decretionem; iudicauit S. Thomas non esse generale omnis vitae definitione; sed illius specialem, quae sublunarium viuentium propria est; omnibus tamen illis communem: nempe vegetatis animae, quae operationum illarum principium est. Vniuersae autem vitae esse illam, quae aliquid perfecte operatur in seipso. Quae admodum non solum planta vitam habet, quia nutritur & augetur, sed animal quoque, quia sentit; homo, quia ratiocinatur; separatae mentes, & Deus, quia intelligunt & volunt. Simplicius solam mortalium vitam definita dicit: quod haec sola nutriantur, augeantur, minuatur, ut in textu 11. & 22. lib. 1. de Caelo confirmat Aristoteles. Non autem caelestium vitam, quae cum hisce operationibus careat, viuere tamen interpretes ille Platonice opinabatur. Immo nec vniuersam mortalium vitam: siquidem appetitus quoque, sensus, & intellectus, sunt vitae. Aueroeris tamen communem & adaequatam iudicauit esse vitae notionem, quae solius vegetatis animae propria est. Cuius beneficio ea quoque, quae sentiunt & intelligunt, dicuntur viuere: non ut sentiunt, aut intelligunt, sed ut eas vegetatis animae functiones habent quemadmodum habent plantae. Non enim inquit, animal dicitur mortuum, quatenus principio motus & sensus caret: sed quatenus nutritionis & consequenter aliarum omnium functionum principium destitutum est.

Ceterum vniuersa haec alioqui grauis inter viros grauissimos controversia facile dirimi potest. Nam duobus modis vitae nomen usurpare licet. Primo modo magis proprie & presertim: atque ita anima vegetatis propria est; habetque viuentia gradum in natura à sentientibus diuersum, qui plantarum proprius est. Hoc modo definiuit nunc Philosophus vitam: & in text. 4. vegetantia omnia dixit viuere: & in text. 16. viuere omnibus inesse propter hoc principium, animal autem per sensum constitui: ac demum in text. 83. & 93. lib. 1. aliisque plurimis in locis plenas omnino viuere affirmat. Altero modo sumitur viuere ampliori quadam significatione: illaque omnia comprehendit, quae in anima non sunt, & quilibet habet operationem, quae quoquo modo supra naturam, hoc est merè naturalem operationem cleuetur.

*Quibus  
modis  
dicitur  
vita.*

**A** Quod Aristoteles in textu 13. docuit, cum viuere multis modis dici affirmat; eaque omnia significare, quibus inest, aut intellectus, aut sensus, aut motus de loco ad locum, aut denique accretio & nutritio: & omnino animata distinguere vitam ab inanimatis. Quocirca in text. 29. 8. phyl. moueri à seipsis dicitur esse vitale, atque animatorum proprium: & in text. 100. lib. 1. Intelligentias omnes optimam habere vitam: & in text. 39. lib. 12. Metaph. & cap. 8. lib. 10. Moral. ad Nicomachum Deum & optimam agere vitam, & optimum esse viuens.

At si ita res habet, quid causa est, cur animae vegetati potissimum tribuatur? An quia ab illa pendet reliqua; & illa potest absque aliis esse, alia sine ipsa non possunt? Quasi ipsa sit fons & principium omnis vitae, dum & ipsa per se viuunt solitaria, & alia vitae principium est. An quia in mortalibus & caducis hisce rebus absque continentis restauratione substantiae nulla profus vita consistit? Restauratio autem sit nutritione, quae propria huius animae functio est.

Ex eadem hac vitae definitione oritur altera difficultas, quae de embryone proposuit Philoponus. Nam is in matris vulua constitutus minime videtur à seipso nutriri. Propterea quod non accipiat ore nutrimentum, quod conficiat: sed à matre confectum & praeparatum umbilico hauriat. Quam ab causam fuerit, qui eum crederent omnino non viuere. Sed aperta extat Philosophi haec de re sententia in c. 3. lib. 2. de animal. ortu. Augetur enim nec augeri quidquam vera & propria accretione potest, quod non nutriatur. Quoniam haec sunt facultates & actiones inter se ordinatae, ut in textu 37. confirmabit. Vbi etiam nihil nutriri posse docebit, quod vitam non participet. Embrionem autem propria accretione augeri, facile ostendi potest. Neque enim exteriori apposita materia fit grandior: neque in vna aliqua parte & non in ceteris: sed intus alimento suscepto, eoque commutato, ac per omnes partes distributo augetur omnes. Quod verò ita augetur quemadmodum viuentia, necesse est viuentium vitam sit participes. Et rursum si verè & proprie augetur, verè & proprie nutriatur oportet. Etenim non vltimo adeo necessarium est, ut cibum suscipiatur ore. (Quaquam hoc in Embryone inesse sensit Galenus in eo libro, in quo id, quod est in vtero, ostendit non solum viuere, sed animal quoque, ac ratione praeditum esse) ut si aliunde possit in ventrem immiti, ea iudicari non debeat vera & viuentium propria nutritio. Ita nimirum à matre praemanus & paulo magis praeparatus cibus ad teneram adhuc viuentis illius conditionem subleuandam suscipitur umbilico & ad ventrem transmittitur. At post ab illius anima, atque calore magis elaboratus funditur per corpus vniuersum, partesque singulas reficit & auget. Praeter nutritionem & accretionem accedit motus in vulua. Vnde vuluam dictam fuisse tradunt, quod in ea voluatur foetus. Quo tamen tempore alimentum suscipit. Atqui à seipso nequaquam moueretur nisi viuere. Hoc enim vitale & animatorum proprium est: nec viuentium solum & animatorum, immò & animalium. Cuius argumentationis vim inuicem non vidisse Philoponum, neque Alexandrum in prioribus lib. de anima c. 20. Non enim negassent embryonem quoadiu continetur vtero animal esse, propterea quod non sentiat. Nisi fortasse (quod de Philopono credi potest, & ipsimet

interpretatur ad cap. 3. lib. 2. de animal. ortu) intelligi voluerint animal in actu 2. quo sensus & intellectus operationes animalis proprias habeat. Ac præsertim sensus, quo anima primò constituitur, vt in textu 16. docebitur. Alexander enim actum secundum motus animaduertens, moueri dixit nõ per se, sed velut alterius animati, hoc est matris portionem. Habere autem animalis formam, atq. ad eò in humana specie intelligentem; manifestum est, tum ex eo motu, tum quia si quando est in vtero animas illas non suscipit, ac sentientem præsertim, quæ feminis actione producitur, nunquam profectò acciperet. Adde, materiam sufficienter esse dispositam ad formam eam suscipiendam: fierique nõ posse, vt non accedat forma. At inquit, cur diutius retinetur vtero, si viuut & animal est? Cur non statim prodit in lucem? Plura omnino requiruntur, vt res quæpiam conferuare seipsam possit, ac suam tueri naturam, quàm vt primùm eam accipiat. Pluribus opus habet animal, vt extra vterum viuat. Pluribus, vt operetur & actum secundum promat. An non animal in lucem quoq. editum principio imperfectum est, neque propter corpulenti inbecillitatem, organorumque imperfectionem operationes complures potest perficere? quibus atate procedente perfectis, magisque elaboratis exequitur omnia. Ita igitur ab imperfecto ad perfectum sensum progrediente natura cresceat primùm inanimatus fœtus. Deinde paulò magis elaboratis organis accedit vita plantæ, sensus adhuc expers. Tum sensum quoque accipit & motum: vtero tamen adhærens velut plantanimalia terræ, ac lapidibus: & tandem in homine mentem quoq. rationis compotem. Adhuc tamen vtero retinetur, vt magis ac magis perfectus, partibûq. omnibus expolitus & confirmatis in lucem post prodians & vitam suam tueatur commodiùs, & quâ optimè operetur. Verù de his alibi pluribus.

*Digestio II. ex operatione cognosci animam esse, velut genus formæ ab alijs diuersum.*

Cæterum illud hoc loco etiam atq. etiam considerandum est, Aristotelem in anime natura peruestiganda eandem planè rationem, quam in cæteris omnibus naturæ partibus, tenuisse. Ex sensibus enim & operatione vbiq. philosophatus est. Nunc verò maxime, vbi animam animatorum corporum formam proponebat. Nam forma latens, nõstròq. sensus effugies ex manifesta & cõspicua operatione cognoscitur. Accepit autem nutritionem & accretionem, velut operationes tum primas, tum notissimas & animatis omnibus communissimas. Complures autem operationes obseruamus, quarum principium sit forma. Nam in eo operationum genere, quod in aliud subiectum transit, ea principium est agendi in aliud à se distinctum, efficiensque rationem subit. In ijs verò, quæ immanentes dicuntur, principium est agendi, vel in se ipsa; vel in eo, in quo ipsa est. Atque in his aut idem quidem est principium & subiectum actionis, sed diuersum obiectum, vt in visione, & alijs eiusdem generis. Aut idem quoque obiectum, vt in intellectuone persæpe, dum seipsum considerat intellectus, suamque contemplatur naturam. Quamquam hæc ipsa operationis forma in materialibus item & corporeis rebus, si non per se primo, vt in immaterialibus & spiritualibus, quæ con-

**A** uertere se in seipsas possunt; certè ratione diuersarum partium obseruatur; dum earum vna mouet, altera mouetur, vt in elementorum motu de loco ad locum; aut forma, quæ est in toto corpore, dat illi actiue motum ratione vnus partis, & ratione alterius tribuit virtutem passiuè se mouèdi. Quod solius animæ ita videtur proprium, vt iam nomine anime formam eiusmodi quampiam intelligamus, quæ operationum harum possit esse principium.

Iraq. cum manifestum sit quædam esse entia, quæ eadem parte & moueant & moueantur; vt videre est in animalibus: aliquam constat oportere in ijs esse formam illius operationis principium. Atque hanc animam appellamus. Ita motu verò dixit Philosophus in tex. 19. lib. 1. Animatum differre plurimùm ab inanimato. Etenim inanimæ omnes formæ necessariò, & quàm maxime possunt mouent, nec intermittunt vnquam. Et verò etiam suis omnibus viribus operantur, nec vna operari possunt altera quiescente. Sed & ignis dum calefacit siccat quoq. & alia eodem modo. Vnicam etiam habent operandi formam: etsi loco mouentur, ad eundem semper terminum, eandemq. situs differentiã tendunt. Ac demum licet veram habeant operandi facultatem: per eam tamen nullum aliud præter operationem influxum habent. Anima vt est perfectior, & magis habet rationem actus, ita dominũ suarum operationum retinet, atq. in eas influxum. Propterea & pluribus modis mouet, & ad omnes situs differentias, atq. in proprio quoq. & naturali loco. Hoc nimirum intellectu moueri à seipsis proprium esse dicitur animatorũ in tex. 29. lib. 8. Phyl. & tex. 72. lib. 1. de Cælo: solâq. animata differentias situs habere in tex. 9. lib. 2. de Cælo. Quoniam ea sola à seipsis omnem in partem mouentur.

Cæterum hæc operandi libertas non eodem modo animabus omnibus inest. Ea, quæ vegetat, omnium maxime materialis & naturalibus cæteris formis proxima vix vllam videtur habere libertatem. Sed ijs omnibus positis, quæ forinsecus requiruntur ad operandum, operari necessariò. Non agit tamen quam maxime potest. Sed dum nutrit, in cibum agit iuxta debitam ipsius proportionem: certumque habet & constitutum terminum, ad quem promouet. Et vt plurimum habeat alimentum, nihilò tamen magis alit. Reliquæ facultates, quarum altera auget, altera sibi simile procreat, non semper, sed statis temporibus operantur. Denique non vitur simul hæc anima omnibus suis viribus. Sed quasi libertatis cuiusdam particeps agit primùm radices, deinde producit truncum, tum emittit ramos. Primùm nutrit, deinde auget, tum aliud sibi simile procreat. Et dum auget maiorem aliquando adfert quantitatem, aliquando in minorem contrahit, aliàs in eodem consistit statu. Quod in plâis facile animaduertas: quæ cum non amplius augentur, si præcidantur, vsque ad certam molem restaurantur. Neque hæc omnia simul & continuatè fiunt; sed primùm attrahitur alimentum, deinde alteratur & coquitur, tum omnes in partes distribuitur, post in earum substantiam mutatur, denique augentur omnes non vna aliqua, sed omni prorsus dimensione.

Id in sentiente anima magis est manifestum. Ea duabus in rebus vegetantem superat. Quod & in motu de loco ad locum summa potuit libertate (quam ob causam incessus & progressio peculiari vocabulo nuncupatur) &

E E

*Pe mota differant animata ab inanimatis.*

*Anima vegetantis operationis modus.*

*Anima sentiens.*

*Intellectus in vtero habere sensum.*

*Quomodo Aristoteles animam naturam in seipsum cognoscit.*